quanta insignis potentia, quanta victoriarum fulgore splendida jamdudum fuerit, et exhorrui videns, omnia sub turpi ruinarum tam templorum quam aedium cumulo dejecta jacere. Interea venit ventus et nos longius a littore tulit et hinc inde nos in sinu Megarico projecit, nec aliquam amplius terram videre poteramus. Vidimus tamen a longe unam grandem navem inaniter per mare cursitantem, ventis inutilibus sicut et nostras vexatam. Suspicabantur autem nostri gubernatores, esse piraticam navem vel adversariorum falcatam et ad insidiandum paratam, unde magister armaturae galeae nostrae totam movit galeam, singula ordinans et producens ad oppugnandum illam navem, bombardas, balistas, arcus, jacula, sagittas, lapides, quos de penetralibus galeae educi jussit, ipsam etiam navem scutis cinxit, clipeis munivit, et thoraces, casses et arma defensiva et invasiva marinariis tribuit et ordinem aggrediendi instituit; quibus compositis instabant gubernatores, sine intermissione agitantes hortationibus, clamoribus, percussionibus galeotarum ad trahendum navem, et aversa galea de nostro tramite contra suspectam navem rostrum prorae direxerunt. Videntes autem gubernatores aliarum galearum classis nostrae galeae, quae principalis erat, intentionem, intermissis omnibus vela volvebant et armantes naves post nos festinabant, eratque in tota classe ingens tumultus, clamor, commotio et ad bellum navale praeparatio. Cum navis suspecta cerneret classem contra se venientem et intelligeret paratam ad se spoliandum et invadendum, tali signo se non ad insidiandum et praedandum paratam ostendit: accatonem enim de sublimi remiserunt tribus vicibus, sursum trahentes et remittentes. Quae ut nostri viderunt, scapham in mare miserunt, in qua de nostris aliqui usque ad eam navem navigaverunt, ut perscrutarentur qui essent vel cujus, et nova aliqua addiscerent; et revenientes dicebant, esse navem de Candia. Et ita deposito apparatu bellico et revolutis velis conabamur in Maleaticum procedere pelagum, sed venti obsistebant et in Aegeo mari trajiciebant.

Ende

Anfang

Maleaticum pelagus.

Vicesima octava die post inquietam noctem clementiore vento facto paulatim in Maleaticum fretum devenimus, ubi ad littus quasi

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;